

D. D.

CONTINUATIO DISSERTATIONIS;
EXHIBENTIS

**HISTORIAM REGUM
HOLMGARDICORUM** (VI)
A RURECO USQUE AD IMPERII
HUJUS MUTATIONEM SÆCULO
XIII FACTAM,

QUAM

*Consensu Ampliff. FACULTATIS Philos. in Reg.
ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES
BILMARK,

HISTOR. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

PRO GRADU

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

CHRISTOPHORUS HOPPIUS,

Wiburgensis.

DIE XV. JULII ANNI MDCCLXVI,

L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKEL.

J. G. M. 1

SON EXCELLENCE
MONSIEUR
LE COMTE
D'ORLOFF,

GENERAL en Chef de l'Armée,
CHEF de la Garde des Chevaliers,
LIEUTENANT-COLONEL du Regiment
Preobragenski,
GRAND-MAITRE de l'Artillerie,
PRESIDENT de la Chancellerie Titulaire,
CHEVALIER des Ordres de Sa Majesté Imperiale
de toutes les Russies.

Quand tout le monde s'empresse à rendre hom-
mage aux grandes qualités & aux vertus he-
roïques, qui brillent dans la Personne de VOTRE
EX-

EXCELLENCE, j'ose aussi me confondre avec VOS
admirateurs.

S'il étoit permis à une plume aussi foible que
la mienne de peindre l'elevation de VOTRE Esprit,
mais sur tout la bonté du cœur, qui à VOTRE
EXCELLENCE est si naturelle; on croiroit aise-
ment, que je paye à la profonde vénération un tribut,
qui n'appartient qu'à la vérité.

Je me renferme donc dans mon obscurité, ayant
auparavant mis aux pieds de VOTRE EX-
CELLENCE ce petit ouvrage, où j'ai taché de de-
velopper l'Histoire de Nos Ancêtres. Que VOTRE
EXCELLENCE daigne accepter cette petite
dissertation, avec la bonté ordinaire, qui Lui attire les

*vœux de tout le Monde & LA fait ne point dé-
daigner les hommages sinceres des moindres Particu-
liers. Rassuré par ce moyen je serai pendant toute
ma vie avec la plus profonde vénération*

DE VOTRE EXCELLENCE

le très humble & très obeïssant
serviteur

CHRISTOFFLE HOPPIUS.



§. LVII.

Ex uxoribus suis duodecim filios (a), præter multas filias, suscepit WALDEMARUS, qui quum Patre adhuc viro tummis admoverentur honoribus, factum est, ut ipso extincto, de imperio acerrime inter se dimicaverint. Tandem vero WISIWALDUS (b) & JARISLAVUS (c) viribus, calliditate atque insidiis struendis pares, ceteros æmulos fratres, partim e medio sustulerunt, partim ad incitas ita redegerunt, ut hi splendidam regni hereditatem sibi vindicare non fuerint ausi. Quibus ita ex sententia peractis, duumviri modo memorati incendio ambitionis flagrantés, eo impigrius se invicem sunt adgressi, quo pauciora jam supererant obstacula, paternum obtinendi regnum. Sed quum tantis moliminibus illorum vires non sufficerent, uterque Princeps exemplo Patris in Sverthiam se contulit (d), copias auxiliatrices impetraturus; ubi tamen ipsi diversa admodum subierunt fata.

WISIWALDUS enim nuptias masculæ illius **Feminae & Reginae** viduæ **SIGRIDIS STORRÅDÆ** (e) ambivit; quæ vero ut omnes fere procos præ se fastidivit, ita Principem hunc **Holmgardicum**, nec non alium procum **HARALDUM GROENSKE**, **Norvagiæ Regem**, in eadem domo vivos comburendos curavit, addito sarcasmo: *Se procacitatem Regulorum hoc modo fore ulturam* (f). Quo facinore imitari voluit **ALOGIAM**, *Ingonis* conjugem, quæ legatos *Dreulianorum* admodum quinquaginta, ut principi illorum nuberet, petentes, unius ædifici ruina atque incendio simul involvit (g). Contra ea **JARISLAVO** ex votis omnia successerunt. Obtinuit enim in matrimonium Regis **OLAVI SKOTTKONUNGI** filiam, **INGIERDEM**, Principem ob formæ venustatem ac morum svavitatem multo commendatissimam; quam solemniter licet sibi promissam ac desponsatam impetrare non potuit **Norvagiæ Rex OLAVUS CRASSUS**, *Haraldi* filius (h), Patre hunc generum semper reprobante. In **Holmgardiam** autem cum *Jarislavo* profectura *Ingjerdis*, duas a Patre petiit obtinuitque conditiones: tum ut urbem *Aldejoburgum* cum adjacente provincia in dotem nancisceretur, tum etiam ut **RAGNWALDUS ULFSSONIUS**, *WestroGuthia* **Jarulus** (i), quem omnium consiliorum participem haberat, ac propterea Patri minus probatum esse cognoverat, se in *Gardariciam* (k) comitaretur. Impetratis autem a Socero copiis auxiliatricibus, fratrem **SUE-TOPOLCUM**, qui principatum *Kiobientem* sibi vindicaverat, iterum iterumque adgreditur *Jarislavus*, & post

post ancipitem pugnam victoriam reportat. *Svetopol-*
cus vero fuga salutem quærens, in deserto inter Po-
 loniam & Bohemiam occubuit (l) Fomitibus malo-
 rum ita sublatis, imperium Holmgardicum constituere
 cœpit *Jarislavus*, aulamque suam ita intruxit, ut re-
 gias, eidem magnificentia pares, per Septemtrionem
 hoc ævo inveniamus omnino paucas. Ad illam pro-
 inde Principes quilibet, adversa fortuna pressi, con-
 fluxerunt. Cum enim Norvagiæ Rex OLAVUS
 CRASSUS a CANUTO M. esset regno expulsus, in
Holmgardiam se contulit, ubi JARISLAVUS atque IN-
 GJERDIS ipsum liberaliter exceperunt, atque *Wulgari-*
am (m) illi regendam obtulerunt; quam conditionem
 licet *Olavus*, amore in Patriam ductus, non receperit,
 multum tamen studii in propaganda Religione Chri-
 stiana per *Gardariciam* collocavit (n). Filium vero e-
 jus MAGNUM, BONUM cognominatum, hic reli-
 ctum probe educandum curavit *Jarislavus* (o); qui HA-
 RALDUM HÅRDRÅDE, Marchionem suum quoque
 constituit. Hic autem paullo post *Constantinopolin* se con-
 tulit, ubi a Prætorianis militibus e septemtrione ar-
 cessitis, *Varingar* (p) dictis, dux fuit electus. Nec re-
 ticendi sunt EILIEUS, *Ragnvaldi Jarli* filius & RAGN-
 WALDUS *Bruse* filius, quos limitibus regni defen-
 dendis præfecit *Jarislavus*. Inmo Angliæ Regis E-
 MUNDI JAERNSIDÆ filii, EMUNDUS atque ED-
 VARDUS contra iniquam Daniæ Regis CANUTI M.
 persecutionem gratum in Holmgardia invenerunt a-
 sylum; adeo ut ille filiam *Jarislavi* forte PRAXE-
 DEM in matrimonium obtinuerit, sed brevi post vi-

eam cum morte commutaverit; hic autem in Holmgardia usque ad an. 1054 permansit, quo a patruo EDVARDO *Confessore*, qui, extincto Danorum in has oras imperio, Rex Angliæ constitutus erat, domum fuit revocatus, verum fati præventus priusquam in Angliam pervenit, decessit, relinquens quidem legitimum sed inutile jus filio EDGARO ATHELING cognominato (q). Sed ad *Jarislavum* revertimur, qui otio non consenuit, verum multa gessit bella, in quibus mutabiles fortunæ vices sæpe fuit expertus. Cum fratre imprimis MSTISLAVO sæpe confligit, tandem vero res eo perducta, ut partem vasti hujus imperii illi relinqueret (r). Deinde cum Rege Polonorum BOLESLAO, CHROBRY dicto, bellum gessit, a quo tamen tribus præliis fuit superatus. Et quamvis cives sui non minus pectoribus, quam opibus, labantibus illius rebus fortiter ac mature subvenirent, easdem tamen, BOLESLAO regnante, restituere non potuit (s). Postquam vero Sororem suam MARIAM (t) CASIMIRO I. Regi Polonorum in matrimonium collocasset, induciæ inter belligerantes has nationes fuerunt initæ, immo, *Jarislavo* vivente, bellum a neutra parte fuit renovatum. Præter alia opera, quibus hic Princeps memoriam sui ad seros posteros transtulit, notari meretur urbs *Jaroslavia*, ad *Wolgam* fluvium ab ipso exstructa & denominata, quæ ante invasionem Tattarorum inter florentissima Holmgardiæ oppida fuit habita. Præcipue autem laudandus est *Jarislavus*, quod magnam Religionis Christianæ curam egerit; siquidem non solum assiduis precibus se

se Deo quotidie commendaverit, sed etiam viris pietate conspicuis impense faverit. Immo sicut litteras amavit, ita varios partim composuisse, partim ex Græca in Russicam linguam transtulisse dicitur libros, qui pietati promovendæ inservirent. Quem in finem multa quoque templa exstruenda curavit, præsertim *Kiovia*, quam sedem imperii constituerat (u). Ex dilectissima conjugè INGIERDE tres filios scilicet WALDEMARUM, de quo mox pluribus erimus acturi, WISIWALDUM (v) & HOLTE *Magnanimum* (w), totidemque filias ANNAM (x), ELISABETHAM (y) nec non PRAXEDEM (z) suscepit. Multos præterea liberos ipsi tribuunt annales Russici (aa) sed quos ex aliis uxoribus genuisse videtur. Reddidit naturæ debitum An. C. 1055, annos LXXV natus (bb).

(a) Pauca sunt, quæ de gestis horum Principum, si JARISLAVUM, WISEWALDUM, SVETOPOLCUM & MSTISLAVUM excipiamus, nobis innotuerunt, nec eadem sincera, sed figmentis hinc inde interspersa; quibus cum patrocinari nolimus, sola nomina, quæ apud Genealogos passim occurrunt nunc exhibebimus. Fuerunt igitur præter modo memoratos SERVOLDUS, SASSLAVUS, STANISLAUS, SVATOSLAUS, BORIS, CHLEB, WSIWOLDUS, POVISTUS, vid. HYBNERI *Tab. Genealog. Tab. 122.* (b) WISIWALD seu WISIWALL nomen plane *Gorbicum* est; *Wisi* enim denotat *Ducem*, unde *Skiaar Vifi*, Præfectus classis. *Sigvid Skiaar - vifi vid Skira* legitur in lapide quodam Runico apud PERINGSKJÖLDIUM i *Tab. Geneal. p. 27.* WALL autem est campus, in quo acies hostiles sunt ordinatæ, unde *Wallad* & *Walplats* aciei locus, atque OTHINUS WALLFADER, aciei Pater, hujusque aula *Wallhall* di-

citur. *Wiswall* igitur vi vocis denotat *aciei præfectum*. (c) Hoc nomen plane hybridum est; prior enim pars Gothica a *Jarl* descendit, quæ *virum illustrem* denotat. Vid. *Jac. WILDE in Histor. Suerb. pragmatica Cap. 3. Sect. 1. §. 5. p. 258*; pars vero altera Slavoniam redolet originem. (d) Notatu dignum est, quod Principes Holmgardici de imperio invicem disceptantes ad Reges potissimum Upsalientes olim confugerint, quos ut Numina suspexerunt tutelaria. Quod evincit partim potestatem, quam Reges Waregorum in hæc terras tunc habuerunt, partim familiaritatem inter ambo hæc Septemtrionis regna intercedentem. (e) Erat animosa hæc Princeps WestroGothici Jarli SKOGLARI TOSTES filia, atque primum ERICI VICTORIOSI & deinceps Daniæ Regis SVENONIS TJUFKJÄGGS conjux. (f) Vid. STURLONIDIS *Libr. cit. Tom. 1. p. 261*. (g) Vid. HERBERSTALNI *Comment. Rer. Muscovitic. p. 3*. (h) Hic postea in matrimonium accepit ASTRIDEM, OLAVI SKOTTKONUNGI filiam, hæc nuptias conciliante *Ragnvaldo Jarlo*, Vid. STURLONIDIS *Tom. 1. p. 511 - - 514*. (i) *Ragnvaldum* hanc propinqua cognatione sibi junctum, cujus indubiam in rebus maxime dubiis fidem sæpius experta fuerat, *Jarlum* seu Governatorem Aldejoburgensem & adjacentis provinciæ constituit *Ingjerdis*; quamobrem hic terrarum tractus postmodum JARLSRIKE dicebatur, ex qua adpellatione Careliæ adhuc nomen manere haud improbabile videtur BAYERO in *Act. Petropol. Tom. IV. p. 290*. (k) Confr. *Jac. WILDE Observat. in Histor. Puffendorf. p. 261*. Præter *Ragnvaldum* vero alium insuper comitem, fratrem scilicet JACOBUM in hoc itinere habuisse videtur *Ingjerdis*; Russorum enim annales sub *Jarisiavo* admodum celebrant JACOBUM WARAGUM; hunc autem Principem brevi post in patriam rediisse constat. (l) Vid. *Chronicon Theodosiani Kioviensis p. 184*. (m) Ita a STURLONIDE *Tom. 1. p. 745*. appellatur hæc re-

regio, quæ forte eadem cum hodierna *Bulgaria*. (n) Vid. STURLONIDIS *libr. & Tom. cit. p. 733.* (o) Conf. STURLON. *Tom. I. p. 733 & 750.* (p) *Varingi* a Græcis Scriptoribus Βάργγων dicti sortem parum lautam apud Imperatores Constantinopolitanos initio habuerunt. Postquam autem NICEPHORO BOTANIATÆ aliisque Imperatoribus sum ancipiti fortuna colluctantibus strenua tulissent auxilia, in honore esse cœperunt, adeo ut in consilia intima non raro admitterentur. De officiis horum palatinatis conferas egregie differentem BAYERUM in *Libr. & Tom. cit. p. 304, 305, 306.* (q) vid. *Histoire de Angleterre par Mr. RAPIN THORRAS Tom. I. p. m. 408, & 439.* (r) vid. *cit. Chronicon Theodosian. p. 185. 186.* (s) NEUGEBAUERI *Histor. rerum Polonicarum p. m. 67.* (t) Hæc quoque vocatur DOBROGNE-NA, quam *Waldemarus* ex ANNA CPLITANA suscepit, vid. HENNINGIS *Operis Geneal. Tom. IV. part. post. p. m. 360.* (u) vid. *cit. Chronicon Theodosian. p. 188.* (v) Hic ipse *Kniga & Knes*, id est Princeps Kioviæ fuit constitutus; quamvis hic maximus natu filiorum non fuerit, ipsi tamen amplissimum hunc principatum concessit indulgentia Paris, qui alias majori natu plerumque cedebat. (w) *Annales Russici* nomen hujus Principis plane ignorant; in *Historiis* autem nostris HOLTE *den MODIGÉ* item *den FRÄCKE* vulgo appellatur. Principem hunc strenuum atque bellicosum fuisse vel solum cognomen, quod intrepidum pectus atque eximiam indicat fortitudinem, satis superque prodit. (x) Principem hanc in matrimonium primum obtinuit Gallia Rex HENRICUS I. ex Familia Capetingica ortus, iploque defuncto, cognatus RAOUL vel ROLF *Comes Valentis* sibi ipsam tori sociam conciliavit, sed cum & hunc conjugem paullo post desiderare cogeretur, in Holmgardiam ipsa se recepit vid. *Le Pere DANIEL Histoire de France Tom. II. p. m. 367.* (y) Diversa admodum ratione nomen hujus Principis pronunciatum &

expressum invenimus. Normanni nominibus Bibliicis enunciandis tunc temporis parum adverte, nomen ELISABETHÆ in ELLISET detorserunt, vid. STURLONIDIS *Tom. II, p. 73, 74.* In Tabulis autem Genealogicis OERNHJELMI dicitur CHRISTINA. Nupsit ipsa Norvagiæ Regi, HARALDO HÅRDRÅDE *Sigurdi* Filio circa An. 1040, qui interea dum stipendia merebatur apud imperatorem CPLITANUM, CONSTANTINUM MONOMACHUM, in honorem absentis sponsæ XVI cantilenas composuisse dicitur, confr. *Kongl Svänjka Vitterhets Academiens Handling. Forst, del. p. 19.* (z) Hanc post obitum Angliæ Principis EMUNDI in Matrimonium duxit OTTO I. *Marchio Stadenfis & Elektor Brandenburgicus.* vid. OERNHJELMI *Tab. Geneal. p. 597.* (aa) Duodecim genuisse filios dicitur, quorum præcipui fuerunt *Waldemar, Wiswaldus, Holte, Sveroslavus, Wsewoldus, Wesebislavus* confr. *Chron. Theodos. p. m. 194.* (bb) Vid. *Chron. Theodos. p. 195.* Conjux vero Regina Ingjerdis jam An. 1048 decesserat.

§. LVIII.

In fati WALDEMARI II, *Jarislavi* modo memorati filii, exponendis, diversas admodum apud Auctores invenimus opiniones. Nos vero nunc potissimum credimus Rufficis Scriptoribus, quod æquales ferme fuerint huic Principi. Memorix autem illi produnt, quod *Jarislavus* contractis ex *Varegia* (a) atque *Holmgardia* copiis Principem *Waldemerum* An. 1043. circiter Constantinopolin, dato eidem socio & duce fortissimo WISCHATO ablegaverit, ut imperium Græcorum, quod tunc tenebat CONSTANTINUS MONOMACHUS, debellaret. Conscendit igitur classem,

led

sed quam oborta tempestas in Mari Euxino brevi post dissipavit, adeo ut ipse in præsentissimum vitæ discrimen inciderit, maximaque pars militum atque navium in Græcorum potestatem facili negotio venerit. Quamvis ita ad incitas redactus esset WALDEMARUS, non tamen animum despondit, sed, reliquiis copiarum contractis, stricto gladio aditum sibi in Patriam paravit; vastataque *Thracia*, multisque Orientis regionibus subjugatis, ingenti præda onustus domum rediit. Quo facto, *Waldemarus* hic Novogardiæ an 1050 occubuisse dicitur (b), qui tamen ad an. 1075 vixit. Hic autem non erit reticendum, quod interea dum expeditionibus Orientalibus occupabatur *Waldemarus*, INGO, Svethiæ Regis STENCHILLI filius, *Aldejoburgi* apud RAGNWALDUM *Jarlum*, avum suum, fuerit educatus (c). *Waldemarus* in matrimonium duxerat GYDAM, Comitissæ tunc Cantiensis, deinde autem Angliæ Regis, HARALDI GODVINSONII (d) filiam, ex qua suscepit filium JAROPOLKUM vel HARALDUM dictum.

(a) Copiæ hæc auxiliatrices ductu & auspicio Principis AMUNDI, qui filius erat Suethiæ Regis EMUNDI Senioris, in Holmgardiam missæ fuerunt, Vid. DALINI *Histor. Patr. Tom. I. p. m. 6; 8*. De clade Waregorum loquitur ADAMUS BREMENSIS *Hist. Eccles., Libr. III. Cap. XVII*, quam tamen non in Græcia, sed in *Terra Amazonum* seu *Quentlandia* contigisse adfirmat. Ceterum Waregos hos, qui in classe erant *Waldemari*, ex Scandinavia fuisse ortos, memorat CEDRENIUS. Dicitur enim ei *Waldemarus* *περοσπικριστάμενος καὶ συμμαχικὸν ἔχει ἕλιγον ἀπὸ τῶν κατικέντων ἐν ταῖς περσικταῖς τῶ ὀκεάνει νήσοις ἐθίων*, id est: sibi adsocians etiam auxilia non exigua ex gentibus, quæ in Borealibus Oceani

si insulis habitant. vid. *Cedrenum citat. a BATERO in Astor, Petr. Tom. IV. p. 292.* Scilicet ex PLINIO, aliisque antiquis Scriptoribus constat, quod Scandinaviam in comper-
tæ magnitudinis insulam fuisse pervetusto crediderint errore.
(b) vid. *Chronicon Theodosian. 189, 194.* (c) Vid. DALINI
Hist. Patr. Tom. II. p. m. 23. (d) Hic superatus fuit An. C.
1057 a WILHELMO *Conquestore*, Normanniæ Duce, & teli
jactu interfectus, Vid. RAPIN THOYRAS *Libr. cit. p. 461.*

§. LIX.

Post obitum JARLSLAVI ex hujus decreto tri-
umviralis potestas in Holmgardia fuit constituta,
quam tunc tenuerunt WISIWALDUS, SWETO-
SLAVUS & WSEWÉLODUS. His ad gubernacula
imperii sedentibus, gens quædam Tattarica, *Polowizi* (a)
dicta, iterum iterumque in Holmgardiam excursiones
fecit, atque in prælio quodam an. 1067 habito non so-
lum victoriam reportavit, sed etiam tres hos Principes
Holmgardicos in captivitatem abduxit. Verum SWE-
TOSLAVUS, occasione inserviens, se ipsum mox in liber-
tatem vindicavit, profligato quadruplici hostium nume-
ro. Poloniæ etiam Rex BOLESLAUS WISIWALDUM
in regnum restituit. Pacatis ita Holmgardorum rebus,
de summa imperii fratres contendere cœperunt, WISI-
WALDO homagii quoddam genus a ceteris postulante.
Crevit sensim horum discordia, adeo ut *Wisivaldus* se-
dem imperii relinquere tandem coactus fuerit. Paul-
lo post *Swetoslavus* diem obiit supremum, & *Wisivaldus*
ac *Wsewelodus* in concordiam redierunt. Interjecto
tempore, Tattari supra memorati provincias Holm-
gar-

gardicas rursus vastarunt; quare Principes hi, contractis copiis, hosti obviam iverunt, & victoriam quidem obtinuerunt, sed funestam nimis, siquidem Wisivaldus gravi accepto vulnere animam exhalaverit An. C. 1078. Sic solus consecutus est imperium WSEWELODUS, non quietum, sed variis casibus interruptum, donec an 1098 ex vita migravit (b). Denique notandum est, quod circa hæc tempora primum inclarescere cœperit *Familia Haliczenfis* (c); cujus potentia inter continuas insequentium Principum discordias adeo increvit, ut Duces ejusdem vergente sæculo XII. Regium titulum adsumserint (d).

(a) Quænam hæc gens fuerit, & ubinam habitaverit, liquido non constat. Attamen si ex adfinitate nominum argumentari liceat, populi hujus patria fuit provincia *Pole* dicta, quæ contermina est Tattaria. Originem vocis *Polowizi* nobis exhibet HERBERSTEIN *libr. cit. p. 64.* Nam *Polle* est *campus*, atque *Lowatz*, *Lowizi*, *venatores*. Mirum omnino, quod Rutheni, teste eodem Auctore, existiment *Polowizos* fuisse Gothos, quam opinionem merito improbat. (b) Vid. *Chronica Theodos.* in MÖLLERS *Samlung Russis her Geschichte Tom. I. p. 349 - - 363.* (c) *Ducatus Haliczenfis* ad radices montium Sarmaticorum seu Carpathicorum situs Hungariam a Russia dividit. (d) Confr. HYBNERI *Polit. Histor. Tom. IV. p. 907.*

§. LX.

Interea dum patrum JAROPOKI seu HARALDI summam imperii Holmgardici tenebant, ipse, cui non dabatur facultas pro dignitate in patria vivendi,

præcipuas Europæorum Principum aulas adit, ipsorum mores, instituta atque leges scrutaturus; adeo ut in illum optime quadret illud MARONIS de AENEÆ:

- - - *Multum ille & terris jactatus & alto. (a)*

Sub hac peregrinatione Romam, gentium arcem CICERONI appellatam divertit, ut Pontificem Romanum inviseret. Hujus studium valde probavit Papa GREGORIUS VII; quare nuntios & litteras ad WALDEMARUM, hujusque conjugem GYDAM an. 1070 (b) misit, quibus significavit, Principem Holmgardicum HARALDUM Romæ fuisse, atque jus investituræ in avitum imperium a S. PETRO accepisse (c). Ut vero in patriam rediit HARALDUS, atque imperii habenas capessivit, Optimates Holmgardiæ undique convocavit, ipsisque cruenta vestigia, quæ Polonorum ferocitas reliquerat, monstravit, rogans & obsecrans, ut injurias sibi illatas tandem ulciscerentur, & si ipsi morem gerere vellent, datam hoc tempore occasionem, quo Hungaricis atque Bohemicis implicabantur bellis Poloni, e manibus nequaquam dimitterent. Moti Holmgardi tam oratione Haraldi quam calamitate publica, bellum in Polonos confestim decernunt, copias strenue contrahunt, & cetera ad bellum necessaria colligunt. Verum in medio armorum apparatu HARALDUS nefanda Petri Wloſtovitii, Comitis Xiansensis, proditione captus ad BOLESLAUM III CHRIVOUSTI, Ethnarcham Poloniæ, fuit abductus; atque ita unius dissensione insignis hic consensionis globus fuit dissolutus. Brevi autem post HARAL.

RALDUS amissam recuperavit libertatem, ingenti auri argenteque pondere soluto, dataque fide *Boleslao*, se hanc injuriam nunquam fore ulturum. Sed plura promiserat *Haraldus*, quam servare cogitaverat; ipse enim pactum tam indigno & truculento modo extortum haud esse servandum, sibi primum, mox quoque amicis, quos devotissimos sibi cognoverat, persuasit. Quamobrem dum *Boleslaus* in Germania apud Imperatorem **LOTHARIUM** commorabatur, irruptionem in Poloniam fecit, multasque ibi expugnavit urbes. Quibus cognitis, *Boleslaus* in Patriam reversus, exercitus subito contrahit, vastantis *Haraldi* impetum retardaturus. Prælio autem ad montes Carpathicos commisso, Palatinus quidam Poloniæ in fervore pugnae ad Holmgardos transit; quo facto, victoriam obtinuit *Haraldus*, exercitusque *Boleslai* adeo profligavit, ut ipse vix fuga evaserit. Hæc tanta clades *Boleslaum* adeo turbavit, ut brevi post dolore oppressus decesserit. In hoc bello **JARISLAVUM**, Ducem Halicensem, quod consilia Holmgardorum prodidisset, atque auxilia Polonis submisisset, Ducatu suo privat *Haraldus* (d). Hac pugna, quæ an. 1137 (e) commissa fuit, tantam prudentiæ & fortitudinis opinionem apud vicinas gentes consecutus est hic Rex Holmgardiæ, ut nemo ipsum bello laceßere postmodum fuerit ausus. In matrimonium duxit *Haraldus* **CHRISTINAM**, Svethiæ Regis **INGONIS** III ex **HELENA** Filiam, atque **STENCHILLI** neptem, propinqua adeo secum cognatione conjunctam (f); ex qua suscepit filium **WALDEMARUM** atque duas filias **MALMFRIDAM** (g),

atque INGEBURGEM (b). HARALDUS vero naturæ reddidit debitum An. C. 1140.

(a) Vid. *ÆNEID. Libr. 1. v. 7.* (b) Ex iis, quæ § LVIII attulimus, constat, quod THEODOSIANUS existit nec, WALDEMARUM jam an. 1050 decessisse, quare minus probabile multis videtur, quod Pontifex Romanus post 25 annos litteras ad ipsum defunctum scripserit. Verum cum bonus noster Monachus in Chronologia sua sæpe dormitet, faciles credimus, quod in hoc etiam loco hallucinatus fuerit, præsertim cum meliora documenta ostendant, Waldemarum an. 1075 adhuc in vivis fuisse. (c) vid. *Corps Diplom. par du MONT Tom. 1. ad an. 1075 citat.* a DALINO in *Hist. Spec. Tom. 11. p. m. 23.* Vocatur quidem Haraldus in hoc diplomate DEMETRIUS, sed perperam admodum. (d) vid. *HENNINGIS Theatr. Geneal. 1. cit. p. 362.* (e) JAROPOLKUM dolo circumventum in traha sua an. 1086 gladio fuisse transfossus, scribit THEODOSIANUS in *Chronico est. p. 361.* Quam tamen opinionem ipsi defendendam relinquimus. (f) STENCHILLUS atque JARISLAVUS adfines fuerunt, adeoque parentes HARALDI atque CHRISTINÆ erant consobrini, vid. *PERINGSKJÖLDII Tab. Geneal. p. m. 37.* (g) Hæc nupsit SIGURDO JORSALAFARARE (*Hierosolymitano*) MAGNI BARFOTI (*Nudipedis*) filio, vid. *OERNHJELMI Tab. Geneal.* qui in expeditionibus cruciatis GODOFRIDO BUILLONÆO 60 navibus auxilio profectus, in expugnatione *Sidonis* masculam præstitit operam. Post hujus autem obitum facta est Conjux, Daniæ Regis ERICI, EMUNDI filii. (h) Hanc thalami sociam habuit CANUTUS LAVARDUR, Daniæ Regis ERICI EYEGOD filius, atque ERICI EMUNDI modo memorati frater, qui tunc erat Dux Slesvicensis, sed postquam huic ducatu Vandaliæ, seu Megalopolitanas regiones propitio Marte conjunxisset, Rex *Obo-*

epitiorum, sublato KRUIKE, An. C. 1128 ab Imperatore
 LOTHARIO fuit constitutus, vid. PERINGSKJÖLDII *libr.*
cit. p. 82.

§. LXI.

Reliquorum Holmgardiæ Regum Historiam ex
 officii tenore jam exposituri, tot sententiarum divor-
 tiis confundimur, tamque densis undique involvimur
 tenebris, ut latum pedem sine periculo lapsus pro-
 gredi vix queamus. Plerique enim Historici cum
 WALDEMARO II nos destituunt, vel etiam Holm-
 gardiæ Principes seriei Ducum Præmisslaviensium alio-
 rumque adeo immiscent, ut illos suis vinduare stirpi-
 bus perquam arduum sit negotium. Pauca igitur so-
 lummodo trademus, sed quæ sincera nobis videntur,
 plura & meliora docentibus libenter adsurgentes. Ex-
 stincto igitur HARALDO, ad dignitatem Regiam
 evehitur filius WALDEMARUS III, qui more Majorum
 contractis numerosis exercitibus Poloniam qui-
 dem invasit, sed a CASIMIRO II Polonorum Eth-
 narcha victus, quatuor magnas provincias, *Bressen-*
sem, Drohicinensem, Woldomiriensem atque *Præmisslaviensem*
 amisit, nec non paullo post Ducatum *Haliczensem*
 victori cedere tuit coactus. His ita infeliciter gestis,
 ad BELAM Hungariæ Regem se contulit; a quo ta-
 men hospitio, sed mox immeritis vinculis fuit exce-
 ptus. Ex his tamen interjecto tempore se expedivit,
 amissas regiones felici auspicio sibi adseruit, tanto-
 que usus fuit rerum successu, ut armorum ejus vi-
 ctri.

stricium impetum sistere non potuerit *Casimirus*, supervenientibus præsertim eadem tempestate variis in Polonia motibus, quibus ipse Erhnarcha regno fuit expulsus (a). Et quamvis CASIMIRUS brevi post, ut mutabiles sunt rerum humanarum vices, in imperium fuerit restitutus, pristinas tamen cum Holmgardis inimicitias non renovavit. Sub hoc Rege in Scandinaviam venerunt Pontificis Romani ALEXANDRI III litteræ, in quibus de immani Esthonorum aliorumque paganorum Orientalium in Episcopos atque Sacerdotes feritate graviter conqueritur, & proinde Svecorum Principem exhortatur, ut spe certa æternæ mercedis recuperandæ fretus, barbaras has gentes igne atque armis ad Sacra Christiana converteret (b). In matrimonium duxerat WALDEMARUS SOPHIAM (c), Poloniæ Regis BOLES LAI CHRIVOUSTI filiam, ex qua genuit JARISLAVUM, de quo mox plura dicemus, nec non filiam SOPHIÆ (d) nomine insignitam. An vero plures habuerit liberos, nondum indagare potuimus, variis casibus defunctus e vita excessit *Waldemarus* C. 1174.

(a) Vid. H. HENNINGIS *Theatr. Geneal. Libr. & Tom. cit. p. 363.* (b) Has litteras videas apud OERNHJELMUM in *Histor. Eccles. Sv. Goth. p. m. 493.* (c) Nicimur in præsentī negotio auctoritate sagacissimi PERINGSKJÖLDII in *Tabul. Geneal. p. 91.* haud ignari, quod in nomine hujus Principis definiendo admodum inter se discrepent Historici. DALINO enim in *Histor. p. Tom. II. p. m. 84.* præeuntibus, ut fatetur, Islandorum monumentis, dicitur RICHISSA, ab aliis SVENTOSLA VA nuncupata. At nisi fallimur SOPHIA & SVENTOSLA VA diversæ fuerunt personæ, quarum hæc nupsit RATIOBO.

BORO, Principi ulterioris Pomeraniæ; illa autem post WALDE-
 DEMARI, Holmgardiæ Regis, obitum conjux facta est Danis
 Regis MAGNI SKATERLÆI Nicolai filii, ipsoque in præ-
 lio ad Fotevik in Scania interfecto, in matrimonium con-
 cessit SVERKERO KOHLSONIO Suethiæ Regi, vid. PE-
 RINGSKIÖLDII *Libr.cit.* (a) Hanc conjugem impetravit con-
 sobrinus ejusdem WALDEMARUS I, CANUTI LAVAR-
 DI filius, Daniæ Rex, ipsoque extincto, si fidem LY-
 SCHANDRO (*Geneal. Dan. p. 223*) habeamus, nupsit LUDO-
 VICO, Hassiæ ac Thuringiæ Landgravio, jam quadrage-
 naria. Verum hæc plene exponere, instituti ratio non per-
 mittit.


§. LXII.

Sub JARISLAVO II, qui Patri WALDEMARO II
 in imperium successit, non in pristinos hostes, Polo-
 nos atque Tattaros intelligo, sed in Svecos, cum qui-
 bus arctissimis foederum vinculis nullo non tempore
 conjuncti fuerant, bella moverunt Holmgardi. Caus-
 sam exulceratorum Holmgardiæ civium pectorum,
 tantorumque ausuum merito conjicimus in præceden-
 teas Suecorum in Orientales has regiones sacras, ut
 dici soverant, expeditiones, nulla justa de causa, sed
 solummodo ut Pontificibus gratificarentur Romanis, suc-
 ceptas (a). Comparata enim ingenti classe, *Esboines*,
Engrii, *Carelii*, *Curlandii*, nec non *Holmgardi* in interiora
 Regni Svio Gothici penetrarunt (b), atque non solum
 urbem SIGTUNAM expugnataro destruxerunt, ve-
 rum etiam Archi-Episcopum Upsaliensem JOHAN-
 NEM (c) in arce sua *Almarflack* tunc temporis forte
 degentem, miserandum in modum trucidarunt (d).

Minus certe probabile est, JARISLAVUM & cognationis suæ cum domo Upsaliensi, & auxiliorum, quæ ex Suethia sæpius obtinuerant Majores sui, adeo oblitum fuisse, ut, classem, tantas prædas undique cogentem, ipse duxerit. Quidquid vero sit, brevi post adventantibus Svecorum copiis Lacum Mælerum relinquere & domesticas sedes subito repetere viæ cogeantur Holmgardi. Et quamvis maximis belli reliquiis restauratis atque renovatis in Suethiam confestim reverterentur, & Uplandiæ littora popularentur; res tamen ad postremum satis infeliciter illis cessit. Verum tam de hac clade, quam de aliis Holmgardorum in Suethiam expeditionibus, quas sequentibus temporibus susceperunt, pluribus disserere jam non vacat. Observamus solummodo, quod post JARISLAVI decessum Holmgardia multitudine Principum, habenas inclyti hujus imperii ad se rapere nitentium, & patriam potius perdere, quam non regnare imprudenter cupientium, ita fuerit oppressa, ut hi extremi merito censeantur conatus, quibus fractos lacertos exhausta movit OstroGardia. Inter hos autem contentiosos Principes duo JARISLAVI filii ALEXANDER (e) & ANDREAS acerrime inter se de imperio dimicarunt. Cumque illi opprimendo hujus vires haud pares essent, ad Regem Svecorum more majorum se convertit, quos in sui auxilium iterum iterumque sollicitavit (f). Verum cum partim externi belli adparatibus partim internis dissidiis tunc distinerentur Sveci & petitio forte minus honesta censeretur, tantas sup-

petitias, quantas desiderasset, impetrare non potuit. Quamobrem Princeps hic Holmgardicus, ambitionis furis in transversum actus, & adversa quævis potius subire, quam fratrem non de gradu dejicere, vesano studio anhelans, ad Tattarorum Regem BATHY confugit, atque ipsius auxilium imploravit. Hic rursus, quæsitâ quidem diu, sed nunc sponte oblata occasione gavisus, specie ANDREAM hunc juvandi totum sibi subjecit imperium Holmgardicum, eidemque tantam induxit vastitatem, ut ne quidem antiquissimis regionum atque urbium nominibus pepercerit (g). Atque sic Holmgardiæ regnum, quod per quinque admodum sæcula læte floruerat, An. C. 1237 fuit extinctum atque eversum. (b)

(a) Vid. DALINI *Histor. Patr. Tom. II. p. m. 150.* (b) Cfr. *Rev. Ep. G. WALLINI Sigtuna stans & cadens aet. II.* (c) Hic nobili genere fuit ortus ex familia de Runby postmodum cognominata, ut observavit PERINGSKIÖLDIUS *citato a Rev. Ep. A. O. RHYZELIO in Episcoposcopia Svecico-Gothica Tom. I. p. 31.* (d) vid. MESSENI *Scandiam illustratam Tom. XII. p. 107.* & LOCCENII *Histor. Regni Svecico-Gothici p. m. 79.* (e) Hic Princeps ab HERBERSTAINIO *in commentar. Rev. Muscov. p. 6* dicitur DEMETRIUS. (f) Conf. HAGEN HAGENSONII *Nordjka Chronika.* (g) vid. HELSINGII *dissert. de Varegorum originibus p. 67.* (b) vid. HERBERSTAINI *Libr. & pag. citat.*



Clarissime Domine CANDIDATE,

Grato admodum animo illum jam adspicio diem, quo mihi licet amicitiam, quæ mihi tecum intercedit, arctissimam publice declarare. Te igitur, CLARISSIME DOMINE CANDIDATE, munus, quod in Te suscepisti, suavissimum jure meritoque gratulor; in arenam namque Eruditorum descendens certamen cum Musis inire intrepide non dubitas, egregiam TUAM Dissertationem, multis vigiliis elucubratam, masculè defensurus. In stadio, quod TIBI proposuisti, magna constantia Te gessisti, sufflamine licet retardatus multo, nullo tamen impeditus. Amorem studiorum verum omnia removere obstacula, quæ viam, ad Eruditionem ducentem, duram reddere solent, Tuo exemplo satis superque ostendisti. Nimis quidem cito Parente Tuo fuisti orbatus, sed neque hæc calamitas animum TUUM penitus fregit. Hujus rei multa producere possem specimina, sed nominasse impræsentiarum sufficiat, quod Historiam Regum Holmgardicorum spissis licet tenebris involutam ex antiquissimis Auctoribus historicis collectam, altera dissertatione jam in apricum produxeris. Amore patriæ nostræ ductus hanc materiam TIBI explanandam sumisti; quare magnas TIBI deberi gratias, æquus quilibet rerum æstimator iponte fatebitur. Gratulor igitur matri TUÆ filium carissimum, qui spem de se conceptam non tantum implevit, verum quoque superavit. Gratulor quoque TIBI coronam illam viridem, ex lauro confectam, qua caput TUUM Apollo haud multos post dies ornabit. Gratulor mihi amicis sincerum nec non Fautorem exoptatissimum. De cetero addat DEUS T. O. M. honestissimis Tuis conaminibus prosperos faustosque successus, & omnigenæ felicitatis flore Te cumulet in TUUM commodum TUORUMQUE gaudium & solatium! Sic vovet

Tui Studiofissimus
FRIDERICUS WEBER.